

R. P. D.

VICECOMITE

Cracovien. Beneficii.

Lunæ 23. *Junii* 1749.

1 BENEFICIUM, seù Cappellaniam in Parochiali Ecclesia Czernikovviensi nuncupatam *Promothoria Sanctissimi Rosarii*, & Michaeli Baranski ex legitima Patronorum præsentatione, prævia Ordinarii institutione, collatam assequi cupiens Casimirus Palaszeuski Parochus ejusdem Ecclesiæ Czernikovviensis, eo sub obtentu, quod à Michaele

obtineretur aliud Beneficium Curatum in *Linski*, ration e ser- vitii cum obtenta Cappellania prorsùs incompatibile, illam ab Apostolica Sede tanquàm vacantem impetravit. Quapropt èr directis Litteris Apostolicis Michaeli Avvedik Protonotario, & executori designato, citrà ullam hæsitationem fuit ab eo prò executione pronunciatum, factumque indè est, ut Michael se nulliter, ac injustè à possessione deturbatum agnoscens Commissionem à supremo Tribunali Signaturæ Justitiæ reportaverit cum clausula = *Parito litteris Arbitrio Rotæ, circumscripta possessione, & apposito sequestro*.

2 Cum autèm ob non prosecutam appellationem, Decretum Apostolici Executoris rei judicatæ vires assumpsisset, nova Michaeli commissio necessaria extitit, adhuc ut adversùs dictam rem judicatam ei liberum esset reclamare, cujus semitis inhærendo, Dominis meis disceptandum proposui Dubium = *An constet de Causis restitutionis in integrum, seù potiùs de re judicata, itaùt Literæ Apostolicæ sint exequendæ* = & rescriptum accepi = *Constare de Causis, & litteras non esse exequendas*.

3 Cum enim Casimirus Palaszevuski Litteras Apostolicas obtinuerit sub expressione falsi, & reticentia veri; Quemadmodùm, si id Papæ innotuisset, vel Gratiam non concessisset, vel saltèm in eam difficiliùs inclinasset; Ità Decretum Executoris easdem litteras subreptitias executioni demandans vires rei judicatæ assumere non poterat, vel Michaeli in ea læso restitutio in integrum impertiri debet, ad *Text. in cap. 1. de Sentent., & re judic., Rota coram Cerro decis. 97. num. 33., decis. 21. num. 1. ad ornat. Card. de Luc., coràm Crispo decis. 243. num. 1. & in Lucen. Parochialis super pertinentia patronali 5. Junii 1733. §. Quoniàm coràm Eminentissimo Domino Cardinali Crescentio*.

4 Subreptio autem, & obreptio, ex quibus Gratia obtenta à Casimiro erat infecta, patentissimè demonstrabatur ex eo, quòd minùs verè Casimirus Summo Pontifici exposuerit Cappellaniam à Michaele obtentam requirere personalem residentiam, ac proindè incompatibilem esse cum Parochiali in Linski. Hoc profectò assumptum à Casimiro tamquàm petitæ Gratiæ fundamentum cum plenis, ac firmissimis probationibus evincendum esset; Hac idcircò non completa probatione, literæ ab eo reportatæ, utpotè non justificatæ, non poterant executioni committi; *Rota apud Marchesan. de Commiss. part. 1. fol. 435., coram Emerix. Junior. decis. 34. num. 32., coram Molines decis. 845. numer. 1., & in Argentina Litterarum Apostolicarum 27. Februarii 1741. §. Ratio, coram Eminentissimo Domino Cardinali Millino*.

5 Et sane ad hoc probandum nequaquam profuit in medium proferre legem fundationis, cum, ea inspecta, nullibi apparuerit, piissimum Fundatorem *Laurentium Komarer* expressè demandasse Cappellano residentiam, & quidem præcisam, seù inseparabilem

lem à titulo, quæ sola efficax in jure communi reputatur ad pariendam incompatibilitatem, juxtà dispositionem *Sacri Concilii Tridentini sess.24. cap.12. de reformat., cap. quia nonnulli de Cleric. non residen., Rot. coram Falconer. decis.6. num.3. de benefic.*

6 Quin residendi onus omissum expressè in litera fundationis arguere valerent alia onera Cappellano injuncta, quæ jure suo residentiam præcisam, ac personalē indirectè importare videantur: Quoniam districtè perscrutantibus Dominis obligationes in fundatione Beneficiato commissas, nec ullam quidem invenire datum fuit aptam ad ostendendam in munifico Fundatore voluntatem arctandi Clericos ad residentiam personalem. Ac in primis onus impositum Cappellanis tùm singulis Sabathis, tùm qualibet Dominica prima mensis, tum etiam in sex celebrioribus B.M.V. solemnitatibus pro anima propria Sacrificium Missę offerendi, non includit, sed manifeste excludit residentiam inducentem incompatibilitatem cum alio Beneficio, ea urgente per efficaci ratione, quod cum Testator minimè adstrinxerit Beficiatum ad Sacrificium, sed eidem expressam dederit facultatem Sacra *per alium* explendi, vetitum ei non erat ex clara voluntate Disponentis alium subrogare, satisque Fundatoris Menti consultum videbatur, etiamsi injuncta opera, ipso non residente, ab alio perficerentur, ad tramites famigeratæ theoricæ *Lupi alleg.35., Rota decis.86. num.2. part.2. recent., & in Cremonen. Beneficii* 14. *Januarii* 1715. §. *Nec magis coram bo.me. Cerro, & in Gerunden. Beneficii* 3. *Julii* 1722. §. *Propterea cor. bo. me. Crispoldo.*

7 Multoque minus residentiam præcisam concludere valebat obligatio in fundatione indicta Cappellano, celebrandi Missam, tam quolibet quartuali, quàm recurrentibus festivitatibus Nativitatis, Resurrectionis, & Ascentionis Dominicæ; Verùm etiàm Dominica infrà octavam Epiphaniæ, injuncto ulteriùs onere singulis Dominicis Sacra Mysteria in recitatione Rosarii Fidelibus explicandi: Quià ex litera expressa fundationis apparuit, posse Cappellanum indictis oneribus per se, vel per alium satisfacere; Quod sufficit, ad hoc ut ipse plenissimè ab onere præcisè, ac continuè residendi censeri valeat exemptus, proùt resolvit *Sac. Congregatio Concilii in una Romana Cappellani* 29. *Augusti* 1722., *Rota coram Molines decis.*1229. *num.*35., *& in Romana Præpositura* 4. *Aprilis* 1729. §. *Quandoque cor. Emo Card. Aldrovando.*

8 Onus denique coadiuvandi Parochum in administrando Sacramento Pœnitentiæ, tanquam restrictum ad nonnullas anni solemnitates: nec etiam visum fuit inservire posse prò inducenda residentia præcisa, & productiva incompatibilitatis, cui sanè locus esse non poterat in præsenti casu: attento quod Testator sub vna, eademque oratione complexus fuit recitationem Rosarij, & onus coadivuandi Parochum; ideoque sicuti

in recitatione Rosarij dedit Cappellano facultatem alium sua vice substituendi, hæc sanè permissio extendi etiam debet ad onus excipiendi confessiones in eadem oratione designatum; ne alias unicæ orationis partes virtute copulæ = *Et* = simul coniunctæ diuersa interpretatione sumantur, & difformiter determinentur, contra regulam, de qua *Rota decis.*146. *n.*7.*part.*9., *& dec.*273. *num.*6. *part.*15. *rec.*

9 Locum cæteroquin cuilibet amaritudini tollebat deficientia præcepti adstringentis Beneficiatum ad præstandum seruitium, *ac per se ipsum* ad implendum onus excipiendi confessiones, quo deficiente, sicuti non Prohibetur Cappellanus alium sua vice in audiendis Fidelium Confessionibus subrogare, ità dici non poterat, Beneficio inesse qualitatem residentialem præcisam, ac privativam tituli, prout monent *Garz. de Benef. part.*3. *cap.*2. *num.*167. *vers. Tertia*, *Rota decis.*157. *num.*4. *part.*4 *recent.*, *coram Eminentissimo Card. Tanario decis.*188. *num.*6., *& in Argentinen.* 11. *Martii* 1729. §. *Absque eo coram clar. mem. Card. Cincio*.

10 Quod ex litera fundationis argui non potuit multo difficiliùs ostendere poterant trium Testium depositiones, asserentium, Cappellanos prò tempore Sanctissimi Rosarii continuò resedisse, adeoùt statim àc Parochiale aliquod Beneficium eis obtigit, Cappellaniam illicò dimittere non abnuerint. Verùm habita præoculis hujusce Cappellaniæ fundatione anno 1686. peracta: Quemadmodùm apparuit, relatam in ore Testium observantiam, cœteroquin negativam, centenariæ metam non attingere; Ità eam parvi habendam Domini censuerunt, tamquàm destitutam præcipuis requisitis, quod nempè casus advenerit Collationis factæ habenti Beneficium residentiale, quodque is, attenta incompatibilitate, alterutrius dimissionem subire coactus fuerit. *Rot. decis.*70. *num.*4., 5. *part.*16. *Recent.*, *coram Merlin. decis.*106. *num.*9., *coram Seraphin. decis.*838. *num.*7., *cor. Mantic. dec.*129. *sub num.*3.

11 Idque locum sibi vindicat, ad differentiam observantiæ centenariæ, ac immemorabilis, quæ etiamsi constet ex actibus negativis, semper tamen magni existimatur, ob lapsum tanti temporis; undè præsumitur coactivos actus, omnesque casus possibiles tàm diuturno intervallo contigisse. *Piton. de contr. pact. allegat.*35. *n.*17., *Rota decis.*18. *num.*4. *ad ornat. Cardin. de Luc. de Jurepatron.*, *& in Mantuana Bonorum* 14. *Januarii* 1708. §. *Quandoquidem coram Eminentissimo Card. Aldrovando*.

12 Porrò ad inducendam coactivam observantiam attendi non meruit Sententia Ordinarii Cracoviensis, qui controversam Cappellaniam vacantem nuper declaravit, eò ipso ac Martinus Rompalski ex addictus Parochialem Ecclesiam obtinuit. Siquidem ei actis in illo iudicio gestis, constat Martinum nequaquam se opposuisse, quinimmò Ordinarii decreto acquievisse

visse; & ulteriùs certum est, incompatibilitatem non præbuisse Episcopo causam, ut Cappellaniam vacantem declararet, cum in decreto pluribus in genere allatis causis, nulla de hac specifica mentio facta fuerit: Quinimmo constat, ob diversam toto genere causam voluisse, ut controversa Cappellania à Martino dimitteretur. Quandoquidem in eo decreto habilitante eundem Martinum ad possessionem secundi Beneficii, reservavit eidem facultatem retinendi ad sex menses hanc Cappellaniam, nec voluit, ut vacatio oriri posset, nisi elapsis sex mensibus, quod profectò repugnat incompatibilitati, cui tunc referendum esset, quotiès geminorum solummodò mensium spatium post adeptam possessionem concessum ei fuisset ad dimittendum. Certum quippè in iure est, Beneficium per assequutionem incompatibilis nequaquàm vacare post sex menses, sed tantùm elapso duorum mensium termino, initium sumendo à die, quo secundi Beneficii pacificam possessionem Provisus apprehendit. *Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 23. num. 19., Rota coram Seraphin. dec. 1254. n. 1., coram Amato, Dunozet. dec. 811. num. 1., & in Asten. Canonicatus 4. Junii 1745. coram Me.*

13 Longè leviori præsidio suffultum apparuit alterum obiectum, quod dùm Michael Baranski exposuit Ordinario in actu petendi institutionem, Cappellaniam, de qua agitur, vacasse ob assecutionem Parochialis Martino Rompalski collatæ, fassus in consequens fuerit, eam extitisse incompatibilem cum aliis Beneficiis. Verum obiectum hoc aliquantùm perstringeret in casu, quo Michael Baranski postulasset dictam Cappellaniam vacantem ex causa incompatibilitatis ob alterius Beneficii possessionem ab Antecessore acquisitam; secùs autem in præsenti themate, quo constat, Michaelem institutionem efflagitasse ad Cappellaniam vacantem *post* assecutum à Martino aliud Beneficium, & *post* recessum dicti Martini à memorata Cappellania. Nec enim ex eo, quod asseruit Beneficii vacationem incepisse *post* adeptum alterum à Martino Beneficium, trahenda est illatio ad admissam incompatibilitatem, sed solum inferri potest, quod Beneficium vacaverit ob illius dimissionem à Martino aliis de causis factam post assecutionem alterius Beneficii, & in vim relati decreti, ita suadentibus tàm circomstantiis vacationem illam concomitantibus, quàm natura ipsa, ac indole confessionis semper in eo sensu interpretationem admittentis, ut minus confitenti præiudicium pariat. *Rota decis. 354. num. 24. part. 16. recent, & coram Molines decis. 906. num. 19, coram Falconerio decis. 30. n. 30. tit. de usuris.*

14 Circà insuper veritatem in literis Casimiri impetrantis narratum fuit, tùm obligatio Cappellano Czernicovviensi ex lege fundationis iniuncta, Missas aliquas per se ipsum celebrandi; quodque geminæ Parochiales ab ipso Impetrante obtentæ ope

Vica-

Vicariorum perpetuorum administrari possent. Profectò quod attinet ad onus celebrandi per se ipsum, inspecta lege Fundationis, id non solùm non legitur Cappellano iniunctum, sed contrarium potius innotescit. Similique vitio laborat illud, quod expositum fuit, respiciens regimen Parochialium à Casimiro obtentarum per Cappellanos perpetuos; quià respectu unius nequaquam probatum est: respectu verò alterius, nempè Czernikovviensis, absolutissimum in facto est, quod exerceri soleat per Vicarium mercenarium, & ad nutum amovibilem, ut omnes Parochi illius Districtus testantur. Cum itaque litteræ Parochi Casimiri etiam in hac parte nequaquam iustificatæ dignoscantur, quinimmò narrata plura legantur, quæ, si absque ulla falsitatis imagine fuissent exposita, vel Summum Pontificem petitioni contrarium reddidissent, vel difficillimum in concessione; Durum summoperè visum est, huiuscemodi literas stabilem obtinere executionem, quæ veluti ab odioso Impetratore expiscatæ, rigidiùs exigunt examen, & in dubio pro reiectione illarum est iudicandum. *Hostien. in cap. non in multis num.* 10. *vers. perindè de rescript. in* 6., *Rota in Vrgellen. Beneficii, seù Canonicatus* 14. *Februarii* 1735. §. 3. *coram Reverendissimo P. D. meo de Vaiis Decano, in Reatina Canonicatus* 19. *Junii* 1739. §. *Jus enim coram bon. mem. Peralta, & in Romana Præpositurae* 20. *Junii* 1746. § *Impetratoris coram R. P. D. meo Clemente.*

15 Omnem tandem vim adimit literis Casimiri, easque inexequibiles esse patefacit, etiamsi fundamentum gratiæ præcipuum consisteret in incompatibilitate, subdola reticentia Fundationis, iuxtà quam constabat, vetitum esse Cappellano Sanctissimi Rosarii ullo pacto se ingerere in administratione Parochiæ Czernikovviensis, quodque Cappellanus deberet esse semper distinctus à Parocho. Porrò si hæc notabilis circumstantia non legitur Summo Pontifici enarrata in litteris Parochi Casimiri Cappellaniam impetrantis, iam clara est illarum subreptio, ob quam nullum ius est ex illis Casimiro subortum, ad obtinendam Cappellaniam, *Rota coram Lancett. decis.* 426. *num. primo, & in Pampilonen. Epistolaniarum* 20. *Aprilis* 1725. §. *Quandoquidem coram Eminentissimo Cardin. Aldrovando, & in Melevitana Erectionis Collegiatæ* 24. *Aprilis* 1741. §. *Siquidem coram clar. mem. Card. Calcagnino.*

16 Neque enim in controversiam revocari potest, quod si Summo Pontifici innotuisset Fundatoris dispositio, Parochos Czernikovienses specialiter arcens ab assecutione Beneficii per ipsum erecti, difficillimè, quinimmò nullo pacto concessioni adhæsisset; Cum nihil magis Summo Pontifici cordi sit, quàm ut serventur leges à Fundatoribus præscriptæ, quibus nunquàm, aut verò saltem ex iustis tantum caussis derogari solet. Ex quibus omnibus cum aperta resultet

iniu-

iniustitia, & læsio rei iudicatæ hisce literis executionem impertientis: Summo idcircò iure restitutio in integrum adversùs illam indulta fuit, ut docet *Alexan.* III. *in cap. Inter, de Sentent., & re judic.* = *Cum aliqua Causa appellatione remota committitur, & Sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.*

Et ita &c. utraque &c.

ROMÆ, MDCCXLIX.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.